

MARTIS ET MORTIS

FATA

IPSO DIE EXEQVIARUM,  
QVO EXUVIÆ

PRÆSTANTISSIMI atq; DOCTISSIMI

DOMINI

MICHAELIS  
KARSBURGII,

SS. Theol. & Phil. Stud.

A. 1703. d. 27. April.

Dormitorio Thoruniensi Georgiano inferebantur,

*expendere voluerunt*

GYMNASII THORUNIENSIS

AUDITORES SUPREMÆ CLASSIS.

---

THORUNII,

EX OFFICINA NOBILISS. SENATUS ET GYMNASII.



\* \* \*

**S**iste, Viator,  
 & , qui fatalia æstimas,  
 perpende, qvalia fata secum vehant  
*Mars & Mors.*  
 Uterqve terrigenarum insidiatur corporibus,  
 Ille igne, ferro, acinacibus, sclopetis, tormentis,  
 homines enecat;  
 Hæc falce sua eos demetit.  
 Ille classico, hæc nazniis,  
 eosdem evocat.  
 Ille maximam partem in campis;  
 Hæc utrinqve,  
 scilicet  
 in campis & urbibus,  
 sua exeqvitur opera.  
 Ille interdum sexum, officium, aut senium,  
 Hæc neminem, respicit.  
 Neqve mirum!  
 Nomen fermè, unde & omen, idem habent  
*Mars & Mors.*  
 Uterqve primo aspectu terribilis;  
 Ille stridore armorum,  
 Hæc exsangvis sceleti aspectu,  
 animo horrorem incutit.

---

Tandem tamen,  
 si rem accuratius pensicules,  
 svavis hic terror est,  
 quem Mors causatur.  
 Mi Viator!  
 Aspice, fodes, mortem spiritualibus oculis,  
 & animadvertes,  
 esse eam  
 (a) *Montem Tienmuen,*  
 id est,  
 Portam Cœlestem,


qvæ ad æternam salutem viam monstrat.  
 Hæc nempe  
 ex angustis in augusta,  
 ex inquietis in quieta  
 homines transplantat loca,  
 ubi mera svavitas, mera dulcedo.  
 Notabilem istam Metamorphosin,  
 quam jam pridem in Gymnasio nostro didicerat,  
 jam quoque expertus est

**MICHAEL KARSBURG,**  
 SS. Theol. & Philos. Cultor.

Hic,  
 cum non sine laude in Academia Regiomontana vixisset,  
 nuper,  
 & quidem multis stipatus artibus,  
 ex eadem redux,  
 adspirando ad Honorum cumulum  
 tumulum ecce! sibi  
 heic Thorunii,  
 ubi antea per sex annos substiterat,  
 præparavit;  
 atq; hinc  
 per atrum feretrum  
 evchitur in theatrum  
 cœlestis gloriæ,  
 dum  
 cœlestem suam animam  
 animosè cœlo reddidit.  
 Non nescivit ille,  
 nil sibi melius in hac mortalitate contingere potuisse,  
 qvàm mortem,  
 Vitæ maximum bonum.  
 Ideoqve  
 ludicræ fortunæ maturè valedicens,  
 eam alios ludere jussit.

qvæ

Qvie-





Quiesce ergo in Pace,  
 quem jam  
 Charites & Musæ nostræ flent lugentq̄ve,  
 olim dilecte  
 Commilito!  
 Tua quies  
 inqvies quidem nostra est,  
 Tua Catastrophe, nostra Apostrophe;  
 eheu! præmaturè nimis ereptus es,  
 qui matura commoda ferre potuisses!  
 Attamen  
 nec invidemus Tibi hanc felicitatem,  
 quam ipse Tibi præoptasti.  
 Tu autem,  
 lectissime Viator,  
 dum hæc pensitas,  
 memento,  
 inevitabilem,  
 nec tamen semper exitiosum,  
 esse mortis terminum.  
 Nimium, quæso, ne expavescas,  
 dum idem tibi aliquando subeundum est iter.  
 Scias,  
 piè in Christo obdormiscentes  
 ex mortalitate in immortalitatem,  
 ex terrestribus casulis, in cœlestia domicilia,  
 ex periculis in securitatem,  
 transferri.

V A L E!

(a) In China invenitur mons, qui eorum Lingua Tienmuen appellatur, nostra Lingua diceretur Porta cœlestis. Vid. Neuhof. in der Ost-Indisch. Gesandtsch. p. 115.

(b) Ferdinandus Nonius, Professor in Salmantica, expressè in Testamento post mortem suam exequi voluit, ne plura, quàm hæc quatuor verba suo inciderentur tumulo: Maximum vitæ Bonum Mors. Thuanus lib. II. p. 225.

